

sione alicuius parentele seu gradus propinquitatis secundum formam presentis statuti.

Cap. XLVIII. De officialibus fiendis super ponderibus et mensuris.

Ordinamus quod in maiori consilio eligantur tres homines 5
 scientes scribere et balotentur in dicto consilio ad piscides cum balotis unus contra alium, et ultimus qui optinebit per maiorem partem dicti consilii sit firmus officialis ad infrascripta, et stare debeat in dicto officio per quatuor menses, et habere debeat de camera comunis Tergesti libr. octo par. 10
 pro suo salario. ¶ Qui officialis habere debeat unum quaternum, in quo scribere debeat omnes mercandandas que conducentur // in civitatem Tergesti per quascunque personas ipsas 15
 volentes vendere in civitate Tergesti, et etiam scribere omnia pondera et mensuras ponderata et mensuratas per iustitios comunis cuiuslibet mercandarie ponderate¹⁾ et mensurate per iustitios comunis, et nomina vendentium et ementium, sub 20
 pena centum sold. par. pro qualibet vice contrafacta. ¶ Et scribere omnes mercandarias emptas in civitate Tergesti sive permutatas vel alio modo habitas, que portarentur extra civitatem Tergesti, excepto vino, sub dicta pena. ¶ Et habere debeat 25
 pro quolibet pondere sive mensura cuiuslibet centenarii duos par., scilicet unum a venditore alium ab emptore, et etiam stare debeat in statione iustitiorum comunis prope plateam comunis, et habere unam capsellam sive banchum in quo conservare debeat dictum quaternum, et venire in capite 30
 cuiuslibet mensis coram dominio Tergesti, quando fit ratio iustitiorum comunis cum dicto quaterno ad dictam rationem, et ibidem ostendere rationem de omnibus mensuratis et ponderatis illo mense, sub dicta pena, et quod nulla persona ponderare debeat vel mensurare aliquam ipsarum mercationum nec facere mensurari vel ponderari sine presentia ipsius officialis, sub pena decem libr. par. pro qualibet persona et qua-

¹⁾ Aggiunta marginale.